



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testibus. Consilium CVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

testibus ex publicatione imminere possit, *ph. Francus in c. fin. §. ult. de baret. lib. 6.* quia denegare huiusmodi publicationem est præcipere Reo defensionis potestatem, *velis in d. c. Cum I. & A. nu. 2. petrus Anchar. cons. 53. incip.* Omnis, eumque gravare inutilibus expensis. Cum enim non probante Actore Reus absolvatur, *l. Qui accusare C. de edictis, etiam si nihil ipse præstiterit c. fin. §. fin. de iur. iur.* interest Rei statim videri testimonia Actoris, ut ex ijs cognoscat, an Actor nihil probaverit, eoque cognito ad absolutionem protinus contendat, & a superflua vel contrarij velexceptionis peremptoria probatione absteat.

Nec ad rem facit, quod publicatis testimonijs pars, quæ publicationem petijt, non possit super istdem aut directis contrarijs articulis testes amplius producere, *Auth. ar. qui semel C. de probat. c. Fraternitatis & ibi Doct. De testib.* sic ut ob id à Speculatori ad obviandam publicationem requiratur, quod petens eam testimonij productioni renuntiet; nam huiusmodi periculum non est sufficiens causa denegandi quoad iudicem; & imputet sibi pars, cur sic ibi viam producendi testes præcludat; permissum enim est unicuique favori pro se introducto renuntiare, *l. Si quis in conscribendo, C. de pactis.* Vnde quod de renuntiatione dixit Speculator, ad effectum renuntiationis, qui resulat ex petitione publicationis, referendum est; non ad formalem renuntiationem; quasi ista formaliter ex conceptis verbis præcedere debeat publicationem, *de Grassis in arbore iudiciorum, quarto principium. 12.* Ex quo etiam consequitur quod in criminalibus causis, publicatis testimonijs, liceat adhuc testes super istdem vel directis contrarijs articulis producere, *l. 2. §. si quis ultro & ibi Bart. l. Vnus. §. reus de quest. dect. in d. Auth. ar. qui semel C. de probat. Canonista in c. Fraternitatis. De testib. Barth. Socinus in §. illentis. reg. 403. n. 6.* liceat quoque, sine ullo periculo aut impedimento, publicationem testimoniorum petere non tantum accusatori seu inquirenti, verum etiam accusato & inquisito in accusationis vel inquisitionis causis, *ang. in tract. de malef. ad verb. qui index dictum processum publicavit c. Quoniam frequenter. §. sunt & alij Vt lite non contestat. & ibi gloss. V. publicatio.* Cui ergo præsens causa, quæ Promotor Universitatis Lovaniensis instituit adversus homicidium Ludovicum vander Tommen sit criminalis super homicidio seu assistentia homicidij, dubitatio nulla esse potest, quin Ludovico petenti ante omnia testimonij productorum depositiones sint edenda & communicanda. Atque ita nunc servat omnium propè iudiciorum observatio, & secundum eam nuper in quadam criminali causa iudicatum fuit, consultis hîc Iurisperitis. Atque etiam in hoc consistorio nuper in alia causa criminali, quam adversus D. Wilhelmum Beke instituit Promotor, propter lusum pilæ, Reo petenti ante terminum proponendi peremptorie, concessa est testimonij per Promotorem productorum publicatio & copia.

De Testibus.

S V M M A R I V M.

Testimonij recolectio.

1. Inopertentia allegata admitti non debent.

2. Testimonij recolectio non facile facienda est.
3. Notario quando credatur contra testes.
4. Testibus quando contra instrumentum credatur.
5. Testimonij recolectio quando fieri possit.

CONSILIVM CIVIL.

IN altercatione, quæ coram Venerabili Domino Decano S. Gudulæ Bruxellensis Iudice delegato pendet inter Antonium Wyts Appellantem, ac Reverendum Dominum Abbatem Monasterij S. Gertrudis Lovaniensis Appellatum, de & super eo, an demittenda sit petitio Appellantis, petentis testes valetudinarie repeti ac reproduci; nobis infrascriptis videtur officium Venerabilis Domini Iudicis esse, ut rejecta huiusmodi petitione ad ulteriora procedat. Est enim hoc manifestum quod quæ facta deducta aut probata in iudicio non relevant per iudicem admitti non debeant, *c. Cum contingat de off. iud. deleg. l. ad probationem c. de probat. Cynus in l. Quod tempore c. de resit. militum. §. Vt & illud indubitatum est, repetitionem seu recolectionem testimonij sive instanti parte, sive ex officio iudicis factam sine causa, atque item eo casu, quo fieri non debet, vim probationis non conferre, l. ult. & ibi Doct. c. De testib. Philip. Decius cons. 175. in causa falsitatis n. 8. & tertio, extra ordinem valetudinarie produci non posse testes, qui ordinarie non admitterentur, & quorum etiam ordinarie recepta testimonia non probarent; ne pluri tribuatur inordinate quam ordinatè factis. Quæ ad rem subjectam applicando, dicimus in primis hanc recolectionem, seu testimonij repetitionem Appellanti nihil profuturam: quia etiam ordinarie producti, si adversus Appellatum quicquam deponerent, fidem non mererentur; ob id quod semel per appellatum in prima instantia producti hi testes aperte depofuerint ad eundem appellatum pertinere duas partes decimarum sub Parochia de Halsenberghe, eandemque atque eius prædecessores eam partem decimarum etiam percepisse ex novem bonuarijs de quibus solis nunc quaestio est inter has partes; Vnde non debent audiri, si nunc contrarium velint deponere, & proprio suo testimonio prius sub iuramento reddito resistere; repugnante eis Notarij fide, pro qua stat juris præsumptio. Et si enim cum omnes testes instrumentarij instrumento per Notarium confecto contradicunt in suspensionem veniat ipsum instrumentum, *Imoc. & alij in c. Cum Ioannes de fide instrum. si tamen Notarius est vir bonæ famæ, stat juris præsumptio pro ipso Notario contra testes, Guido Papa decif. 540. propter publicum officium, quod præsumitur bene exercere, c. Ad audientiam de præscript. aud. Alciac. De præsumpt. reg. 3. c. 14. eaque est Speculatoris in tit. De testibus §. 1. vers. sed pone ecce index, & de fide instrum. §. testat versis. quid si date attestaciones, & aliorum omnium, Cyni, Ang. Salic. & aliorum in l. si quis decurio c. ad l. Corn. de falsis, Lud. Rom. in l. i. in fine de verb. oblig. Barth. Socin. in fallen. g. 421. traditio; sic ut pro D. Appellato ejusque testimonijs stet juris regula, quæ ad conservationem testimoniorum primo loco sub solemnij iuramento receptorum, ut illa sonant in scriptura Notarij sufficit, *Bart. in l. Quoties d. Qui satisd. cog. iam verò ex actis non constat***

M. Ioanni

M. Ioanni Duyffkens, qui hos testes recepit, & examinavit, eorumque dicta in scriptum redegit ex parte Appellantis aliquid de mala aut notata ejus vita vel fama obiectum esse: ita ut præsumptio bonæ & integræ famæ pro eo evidenter stare comperiatur. De quo minus hic dubitandum, ob id, quod præter quatuor productos testes, quos Appellans reperi aut recolligi vult, alij adhuc sint per D. Appellatum quoque producti qui idem deponunt, quod per prædictos quatuor testes depositum esse scriptum invenitur, adeo ut non possit dici, testimoniorum scripturam ab omnibus testibus impugnari, quod requiri videtur, ut ob contradictionem testimonij, instrumentum seu scripturam Notarij in suspensionem trahi possit, Innoc. in d. c. cum Ioannes. Accidit quod inter dictos quatuor testes, qui se seduci patiuntur, & extra iudicium per Appellantem producti coram Notario ad hoc commissionem non habente, aliter se deposuisse, quam scriptum esse dicunt, unus sit, quem antecedens aliud ipsius testimonium ita contringat, ut in revocatione ac variatione hac nullam fidem mereri possit; quia scilicet ante ordinariam depositionem, quam M. Ioannes Duyffkens recipit ac scripsit, idem ille testis coram publico Notario sub iuramento declaravit illud ipsum, quod ex ordinaria eius depositione M. Ioannes Duyffkens actorum Notarius scripsisse invenitur; constringente etiam illum propria subscriptione, quam fecit in suo ordinario testimonio per M. Ioannem Duyffkens conscripto. Ita ut evidentissime hic elucescat partis appellantis vel subornatio, vel dictorum testimonij falsitas; quæ præsumitur semper, quoties testis, quod primo loco judicialiter ac ordinariè productus declaravit, in secunda depositione revocat vel alterat; sic saltem, ut stetet prima; non posteriori eius depositioni vid. in c. per tuas, de testib. Et quamvis propter telum exuberantem fidem & magnam qualitatem etiam adversus Notarium interdum credatur; credi tamen non debet, si omni exceptione maiores non sunt; imò ut ait Ioannes de Anania, cons. 97. in causa ista qua vertitur inter heredem nu. 2. in superlativo gradu manifestissime maiores: sic ut vel levissima exceptio testibus in reprobatione scripturæ Notarij, facillimè derogat, Bald. in l. Optimam. C. de contrab. & commit. stipulat. & in d. c. cum Ioannes. Neque dum Appellatus fidos testes impugnat, eorum fidem quoque quoad testimonia prius præ se dicta impugnasse dici debet: nam satis est quod per Appellantem antecedens conditio & qualitas eorum quæ fuit tempore testimonij, non impugnetur; & quod subsequens eorum qualitas, quam sibi hi testes per huiusmodi contrarietatem superinducunt, futuris, non præteritis nocere ac obitare debeat; præsertim in hominibus rusticis, qui facile vel animis, vel foribus seduci aut corrumpi possunt; cuius suspicionem lex permittit post publicata ac didicita dicta testimonij Auth. at qui semel. C. de probat. c. in causis de testib. * ita ut traditum sit, testimonij receptionem ad instantiam partis faciendam non esse, publicatis & didicitis attestantibus, Panor. in d. c. per tuas, & ibi Felin nu. 2. tunc præsertim, cum dici non potest, quod prima testimonij ordinaria productio sit nulliter facta, Socin in c.

Fraternitatis & ibi Felin. De testib. neque item hoc, quod hi testes quorum recollectio petitur male sint interrogati, aut quod obscure aut ambiguis deposuerint; ex quibus causis interdum solet permitti testimonij repetitio post publicata & didicita dicta testimonij, d. c. per tuas, Guido Pap. decisi. 72. & decisi. 124. publicata autem & didicita iam diu fuisse, imò etiam per appellantem tam quoad personas testimonij quam impugnata horum quatuor testimonij testimonia ex productione Appellati recepta, ex lectione actorum primæ instantiæ constat. Quibus & hoc adjungimus, contradictioni testimonij adversus Notarium fidem adhiberi non posse, quoties verosimilitudine destituitur huiusmodi contradictio; quam similitudinem ac probabilitatem Iudicem semper sequi oportet Bald. d. c. in l. In exercendis nu. 3. in fine. c. De fide instrum. Ang. in l. 2. §. diem Quem ad testam. aper. Quod autem verosimilis non sit hæc contradictio ac prioris testimonij revocatio, ipsa juris communis definitio & præsumptio primum arguit: cum qui jus universale decimandi in toto, vel pro certa quota in aliqua parochia habet presumatur in omnibus & singulis partibus seu fundis sub eadem parochia constitutis, pro toto vel certa quota in aliqua parochia habet, præsumatur in omnibus & singulis partibus seu fundis sub eadem parochia constitutis, pro toto vel certa quota id habere: nam ex vi comprehensiva pars subiectiva suo toto continetur, Everar. præles in loco à toto ad partem. Atque ita cum non tantum per novissimè exhibitum in hac instantia instrumentum constet, sed etiam iidem testes, ad quorum recollectionem contendit Appellans, aperte deposuerint, Appellato hoc ius decimandi sub Halberberghe competere, eaque in parte proprio testimonio non resistant, ut conspiciatur ex notariali instrumento, quod de contradictione horum testimonij, Appellans fieri procuravit, sed in eo tantum, quod in priore eorum depositione scriptum sit, quod deposuerint in his quoque bonuarijs ex parte Domini Appellati decimas esse perceptas: manifestum est, improbabilem esse huiusmodi revocationem, eamque admissam nihil operari, ob id, quod ex juris præsumptione & iuris, quod dominus Appellatus habet, universalitate constituendum sit, quod in his quoque novem bonuarijs Dominus Appellatus idem ius decimandi habeat potissimum quia per Appellantem nusquam proponatur, aut allegetur, quod alicui alij ius decimandi in iisdem novè bonuarijs competat, & nulla juris sit præsumptio, quod nulli decimas huiusmodi fundi debeant; sed universalis sit juris constitutio, quæ omnia omnino prædia præstationi decimarum subijcit, cap. 1. c. Non est c. Cum in tua De decimis c. Decima XVI. q. 1. Quia igitur per multa media & rationes demonstratur, quod hi quatuor testes semel per D. Appellatum producti, auditi, examinati, & publicati non possint, quicquid etiam deponant, fidem aliquam contra priorem suam juratam depositionem facere, etiam si ordinariè audirentur seu repeterentur; quodque ordinaria repetitio seu recollectio ex prædictis causis permitti non debeat; & præterea quod per iudicem prioris instantiæ petitio repetitionis seu recollectionis formaliter per decretum ex iuris

ex iustis causis sit rejecta; & pars appellans in huiusmodi rejectione partem gravaminis constituat: existimamus hanc antecedentem extraordinariam tertium valetudinariorum reproductionem, repetitionem, & recollectionem permittendam non esse; saltem non prius quam Venerabilis Dominus Iudex pleniore cognitione causæ adhibita, lectis & examinatis actis prioris instantiæ, certius iudicandi & decernendi super hac altercatione facultatem sibi comparaverit: quo facto non dubitamus, quin ei liquido constabit, hæc ex malitia & cavillationis studio peti, cui per iudicem indulgendum nihil est, l. in fundo versis, constitutus de re iudicat.

De Testibus.

SUMMARIUM.

Testibus an Notario credendum sit.

1. Dissensus in pretio vel mercede impedit perfectionem emptionis & conductionis.
2. Testibus dicentibus se aliter deposuisse an credi debeat.
3. Instrumentum fidem admittit, si omnes testes instrumentum contradicunt.
4. Notarius quando plenissime fidem meretur.
5. Testes repeti & iterum examinari possunt ex officio.
6. Assertio extrajudicialis tertij alij nihil nocet.
7. Nobilis potius credendum quam plebeio.
8. Commiseratio iudicem movere non debet.

CONSILIUM CVIII.

CONSULTO fecisset, & dispendio Rei familiaris prospexisset Nicolaus Rolin huius causæ Actor, si causæ suæ prosecutionem soli procuratori suo absque Advocati alicujus consilio, toto ferè biennio non permisisset: consultis enim Iurisperitis discere poterat contractum emptionis, venditionisque, atque item locationis & conductionis non perfici, nisi cum de pretio vel mercede absolute conventum est, §. 1. *Inst. de empt. & vend. l. 2. D. Locati*; & tam diu imperfectum manere, quam diu emptor viliori comparandi seu conductor conducendi; venditor vero carii distrahendi, & locator pluris locandi votum gerentes, inter se contendunt; neque prius perfici, quam altero paulatim de eo quod petierat detrahente, altero autem huic quod obrulerat addente ad certum consentiant, l. si voluntate. c. de rescind. vend. quamdiu enim dissensus sive in pretio seu mercede, sive in aliquo alio est, emptio conductioneque imperfecta manet, l. in venditionibus, de contrah. empt. consensum autem impedit temporis diversitas seu intervallum: nisi enim simul & eodem tempore in certum idemque pretium seu mercedem consentiant contrahentes eodem loco praesentes, consensus non erit, l. Consensu in princ. iuncta gloss. in v. consentire de oblig. & act. *fabianus de Monte S. Savini de empt. & vend. q. 22. nu. 47.* si videlicet alteruter contrahentium pretium seu mercedem semel oblatam recusaverint, & deinde ex intervallo acceptent; & tunc solum non vitiat contractum consensus ex intervallo praestitus, quando alter dedit terminum ad respondendum, vel postea accedentem responsum & acceptationem ratam

habet, *Joan. de Imola in l. si stipuler §. fin. De verb. oblig. Paul. Castrenf. in l. si ego de reb. cred. si cert. petat.* Inconlute itaque ex eo tractatu de sculpenda tabula Generosum Dominum Nicolaum Huyon convenit, quem simultaneo consensu conclusum fuisse quoad pretij seu mercedis determinationem probare debuit, nec tamen potuit. Nam quamvis Actor tribus testibus videatur clarissime probasse, inter Actorem & Reum conclusam fuisse conventionem de sculpenda tabula pro nonaginta florenis; per repetitionem tamen & recollectionem eorundem testium, & aliorum plurium examinationem postea ex officio Domini Iudicis factam, longè evidentius constat, nullam absolutam perfectamque conventionem inter ipsos fuisse factam; sed tractationem tantum intervenisse, per licitationem usque ad nonaginta florenos, quam nemo dicit Actorem accepisse, sed è contra deponitur eum acceptare noluisse, & Adamum van Vorsslem velut mediatorem conatum fuisse inducere Reum, ut plus adderet, Ita ut nulla sit verisimilitudo conventionem simultaneo consensu conclusam fuisse ad nonaginta florenos; sicut duo posteriores ex praedictis recollectis testibus, primo loco auditi deposuisse asserunt: praesertim quod Actor ipse proponat, & speciali decreto Domini Iudicis iussu medio juramento calumniae affirmavit, conventionem esse factam & conclusam pro nonaginta quinque florenis; quod nemo testium ante vel post productorum dicit: ut nulla sit dubitatio quin Actor ex convivio inealescente vino occasionem captaverit majus pretium seu mercedem referre, quam Reus obtulerat; sed cum cane Aesopico oblatum amisit, & post est facta occasio calva.

Neque potest Reo obesse quod testibus repetitis aliter deponentibus, quam prius deposuerant adversus Notarium, si dicant se id non deposuisse, quod ille testimonio inscripsit, credi non debeat; praesertim si, ut hic evenit, repetantur post publicata & didicita testium dicta, & Notarius qui testimonia recepit, sit vir bonorum nominis & famæ, quod etiam in proposito evenit, propter periculum & praesumptionem subornationis, *Guido Papae quest. 540. & 546. ** nam tradita est ab Innocentio in cap. Cum Ioannes de fide instrum. regula à multis comprobata, *Bart. Imola, Ang. & alij in l. 1. §. fin. Quemad. testam. aper. Canonistis in d. c. Cum Ioanne Fabro, & Angelo in §. item verborum. Inst. de instrum. stipul.* quod si omnes ad unum testes contradicant scripturae Notarii, instrumentum amittat vires suas; quasi scilicet Notarius & scriptor erraverit, & non satis exactè testes intellexerit; sic ut non sit necesse illius dolum arguere: quod etiam proclivius ac mitius est, *Bart. & alij in l. Quoties §. 1. De hered. inst. Alexand. conf. 70. Viso processu nu. 8. & conf. 74. Viso testamento nu. 4. vol. 1.* Omnium enim testium conjuncta contradictio, auctoritatem & fidem Notarii, qui solus testes audivit, vincit; quæ non vinceretur si alicujus ex iisdem testibus prius auditis testimonium pro Notario staret, *elegantè Alexand. conf. 65. Visis processibus nu. 6. vol. 1.* Et praeterea nulla est dubitatio, quin scripturae Notarii non credatur, sed testibus contradicentibus, si alij praeterea testes producantur, qui secundum con-